

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XXI. De fletu domini et lacrymis amoris.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

Dignitas est
hominibus
quod
Christo ut
membra suo
capiti
copulentur.

tionis ; insuper eximiæ dignitatis quam contuli hominibus , in eo quod mihi velut membra capiti suo æterno fœdere copulantur. Quintum verbum, scilicet *ascensio*, admonet me quod factus sum advocatus hominum, et mediator apud Patrem. Fidelis advocatus domini sui censum fideliter congregat, et ubi domino suo deesse viderit, de suo supplet. Et sic ego omnia bona quæ homo fecerit, centuplicata Patri meo offero et ubicumque defuerit, ei de meo suppleo, ut animam ejus cum inæstimabilibus divitiis Patri meo cœlesti coram omnibus Sanctis repræsentem. »

CAPUT XXI.

DE FLETU DOMINI ET LACRYMIS AMORIS.

Dominus
flevit
ob unionis
suæ cum
Patre, ac
cum homine
recordatio-
nem.

ITEM cum audiret legi in Evangelio Dominum flevisse ¹, et ipse ex hoc suam occupasset memoriam, dixit ad eam Dominus : « Quoties in terris cogitabam illam ineffabilem unionem quæ Deo Patri unitus, unum cum ipso eram, humanitas mea a lacrymis se continere nequibat. Quoties etiam recordabar inæstimabilis dilectionis quæ me de sinu Patris alliciens, humanæ conjunxit naturæ, toties humanitas mea a fletibus non poterat se cohibere. » Tunc illa dixit : « Et ubi sunt lacrymæ tibi ex amore unquam profusæ ? » Respondit : « Specialem in Corde meo obtinent locum ; sicut qui thesaurum habet magis sibi dilectum, in secreto et singulari reservat loco. » Et illa : « Tu aliquando dixeras mihi lacrymas amoris in Corde tuo velut in igne

1. JOANN. XI. 35.

absumi ? » Cui Dominus : « Hoc utique verum est ; nam in Cordis mei fervore, velut aqua sparsa ad ignem, absumuntur, nec tamen consumuntur, sed in intimis Cordis mei optime reservantur. »

Amoris
lacrymæ in
Cordedivino
servantur.

Item ¹ vidit Dominum aperire dulcissimi Cordis sui vulnus, et dicentem : « Aspice multitudinem pietatis meæ, quam si cupis agnoscere, nusquam lucidius quam in verbis Evangelii poteris invenire. Majoris siquidem aut dulcioris affectus nunquam audita sunt verba quam illa : *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos*, (JOANN. XV. 9.) et alia his similia, quæ tam ad discipulos quam ad Patrem meum locutus sum, multa eis bona impertiendo. »

CAPUT XXII.

DE TRIPLICI OPERATIONE SPIRITUS SANCTI IN APOSTOLIS ET IN
QUALIBET ANIMA DESIDERANTE.

IN sancta Vigilia gratiosi festi Pentecostes, hæc Dei humilis ancilla cum se receptaculum Spiritus Sancti exhibere desideraret, dixit ad eam Dominus : « Spiritus Sanctus tria in Apostolis operatus est. Quorum primum est quod eos in suo adventu in divino amore succendens penitus permutavit, ita ut qui antea timidi et infirmi, et seipsos erant amantes, tam fortes effecti sunt, ut etiam mori non timerent ; imo gaudium et gloriam reputabant se pro Dei amore, adversa tolerare. Secundo, sicut ignis ferrum purificat et sibi simile efficit, sic Spiritus Sanctus Apostolos ab omni sorde purga-

1. Quæ sequuntur e solo Lipsiensi codice sunt excerpta ; desunt vero in codice Guelferbytano.